

tudinem inter se & convenientiam co-
lunt, hoc omnis abstractionis, quâ univer-
salia fiunt, fundamentum est & unicum &
sempiternum. Ecce enim, quæso, ab ho-
mine & multis animantibus communem a-
nimalis abstrahere conceptum solent Phi-
losophi? Certè ideo quia hominem &
bestiam judicant convenire & similia esse
in animalitate atque illis quæ animalita-
tem vel constituunt vel consequuntur,
sensu, appetitu, motu &c.

3. Quare cùm Deus & Creatura in ra-
tione entitatis & quæ illam comitantur,
ut ratio unitatis, veritatis, bonitatis, cau-
sæ, perfecti &c. similia sint & conve-
niant, quis dubitet, communem inde at-
que unum entitatis, unitatis, perfectionis,
essentiæ, causæ &c. conceptum animo
formari posse & rectè formari?

4. Hic logomachiis nos oppugnatum
venit, ex præjudiciis orta variis, tum im-
peritia tum supersticio humana. Et primò
quidem in genere, non posse rationem
entis præscindi ab inferioribus, quia for-
maliter imbibitur à differentiis eorum,
adeo ut entis ratione inde abstracta il-
la ne concipi mente quidem possint:

Ff nedum